




J. GOMEZ DE LA CORTINA ET AMICORUM
FALLITUR HORA LEGENDO




très rare

DE COLORIBVS.

ANTHONII THYLESII COSENtini libellus, in gratiam elegantiæ Latini sermonis ſtudioſorum conſcriptus: in quo multa ꝑter alioꝝ opinionē.

EX TIMAEO PLATONIS DE COloribus, MARSILIO FICINO interprete.

EX noctibus Atticis A. GELLII de colori bus caput unum.

ITEM quæ notauit in caput A. Gellij LAZARVS BAYFIVS.

Cum alijs quibuſdam eiuſdem argumenti autoribus.

LONGOLIVS.

Τίς λέγε θυλέσιον σκαίως περὶ χρώματος εἰπεῖν;
ποιητὴς γὰρ ἐὼν οὐχ ὑπέγραψε χρόας.
Τῷ μὲν, ἐγὼ φημὶ κλαίειν ἢ γράμματ᾽ ἀκούειν,
Ζωγράφειν ὡς εἴδη ῥήτορα, θυλέσιον.

ANTONII THYLESII COSENTINI de coloribus libellus.

DICAM aliquid de coloribus in hoc libello, non quidem unde cōficiātur, aut quæ sit eorum natura: neq; enim Pictoribus hæc traduntur, aut Philosophis, sed tātum Philologis, qui Latini sermonis elegantiā studiose inquirunt. Scribam omnia breuiter & accurate: ac rerum ipsarū nomina, quo statim Colores intelligantur, singulis apponam.

COERVLEVS, CAP.

EXordiar primum à Cœruleo: quo nisi natura ipsa maxime gauderet, nunquam profecto deorum hoc domicilium, Cōtinuo Circum Complexu Cuncta Coërcens, specie tam læta uniuersum exhilarasset: reliquos deinde contexam. Cœruleus igitur dictus quasi Cœluleus, ut ex uoce ipsa apparet, proprie color est Cœli, sed sereni : id quod ENNIVS respiciens, cœli inquit, Cœrula templa : atq; inde ab omnibus mare appellatur Cœruleum, refert enim illud, eundem, quem ab ipso superne accipit cœli nitorem. Quare ex antiquis nōnulli, ut alterum Homeri opus, propter cædes, de quibus illic poëta loquitur, colore exornabant sanguineo: sic Odyssæam ubi Vlyssis idem maritimos scribit errores membrana

Mare cœruleum.

membrana contegebant Cœrulea. Sed quoniam Cœrulei quædam species est penè nigra, ut quod Indicum dicitur, eoq; olim uestitu Græcæ mulieres amictæ producebant eorum funera, quorum in cœlum animas migrasse cœruleum existimabant, idcirco pro tristi nonnunquam capitur, ut apud Vergilium, puppis Cœrulea Charontis. Imbérque & Sol Cœruleus. Cucumis autem Cœruleus, nam id quoq; legitur, Melopeponem significat, qui inter Cucumeres (multa enim sunt eorum genera) pulcherrimus est. Nec tãtum Cœrulei uidetur particeps, sed ipsius quoq; mundi gradus, introrsum uersus, attenuatos ostendit, ut hoc olim de eo lusimus:

Cœrulei coloris alia species.

Cucumis mũdi typũ referẽ

Quis neget è cœlo missum? formamq;, coloremq;,
Atq; gradus Cœli, Nectaris atq; refert.

Est enim sapore suauissimo. Sine ulla dubitatione, quod nos Cœruleum, Græci dicunt Cyaneũ, in quorum etiam commentarijs Lazurion inuenio. Ascribitur huic generi, qui Venetus olim, nunc uulgo Blauus nuncupatur, color ex factione Circensi ualde nobilitatus. Fuerunt autem colores in Circo, prçter hunc Venetum, Roseus, Albus & Prassinus: quibus Auratus postea, purpureus & luteus additi sunt. De ijs loco dicemus.

CAESIVS CAP. II.

CAesius uero si dictus esset, ut doctissimi uiri monumentis olim tradiderũt, quasi Cœlius à Cœlo, eadem foret in Cœlo & Cæsio diphthõgus. Constat aũt esse in ijs uocibus diuer

sam, nihil præterea differret à Cœruleo, quando id ut ostēdimus, à cœlo deductum est: differt autem sine dubio, uel ex ipsius M. Tullij autoritate, cuius hæc sunt uerba in primo de Natura deorū libro, Cęsios oculos Mineruę, cœruleos esse Neptuni. Ad hæc, non, quemadmodum legimus Cœlum, Mare, Vestem, Florem cœruleum, ita legimus Cœlum, Mare, Vestem, Florem cæsium: sed oculos tantum cæsios, ueteres dixerunt, quibus inest fulgor quidam uisu horrendus. Vnde existimo, sicut Cæsar, & Cæso dicuntur à cædendo, ita Cæsium à cæde nominatum esse, ut qui cæsius sit, cædem quodammodo oculis minari uideatur: qualis prælio gaudens & cæde dicitur fuisse Minerua, ex quo illa ab antiquis uocata fuit, ut ego arbitror, Cæsia. Significat hoc M. Cicero, ubi de Catilina ait: Notat & designat oculis ad cædem unumquenq; nostrum. Hic, qui oculis ad cædē senatores designabat, Cæsius erat. Cuius etiā oculos Sallustius insignis historicus fuisse tradidit fœdos, id est cæsios. Cuiusmodi memorię proditū est Neronis quoq; oculos fuisse, quod ipsum non leue fuit argumentum tyrannicæ crudelitatis. Quin à Terentio Cęsij hominis facies dicitur cadauerosa, hoc est immanis, & sæuitiam arguēs, qualem Sicarij præ se ferunt & carnifices: quamuis alij parum erudite cadauerosam pro subliuida exposuerint. Enimuero leonis oculos si quis inspexit, qualis sit hic color, intelligit. Micant illi, ut studiose ipsi prope considerauimus, uelut ignis penitus flagrans. Dicitur color hic Græce ab

[Margin notes: Cærulei coloris à cæsio differentia. — Cæsius. — Catilina oculis Cæsiis. — Facies cæsia.]

cé ab omnibus Glaucus, quod uerbum longo iam usu Latini poëtæ suum fecerunt. Latius tamen patet Glaucus: nam præter oculos Noctuinos, quos, ut auis ipsius Græcũ nomen declarat, omes Glaucos esse confirmant, multa quoq; dicuntur Glauca, ut Vlua palustris herba, ut Salix, cuius cũ frondes, tum multo magis cortex in ramis, præsertim anniculis, nitet hoc colore. Quem laudat Virgilius in equis, eosq; noto carmine Glaucos appellat, communi Italorum lingua Baios nominatos. Nam Spadices honesti ab eodem Poëta ibidem uocati, illustriores sunt aliquãto, Baij & ipsi, sed clari, uulgo nuncupati: atq; ij duo aliorum omnium maxime probantur colores in eqs. Vlua igitur & salix, quas idẽ Vergilius glaucas dixit, equi item species optima, Castaneæ, etiam nucis tunica, aliaq; multa, præter leonis ac noctuæ oculos, colorem Glaucum ostẽdunt. Sed ut unde discessi, redeam, quando Cęsius color tãtum est oculorum, uidendum est, ne is sit potius quem Aristoteles Charopon uocat. Sic enim ab illo dicitur leo ab oculorum sæuitia, quem Catullus poëta doctissimus Cæsium appellat. Vnde Hercules cognomẽto dictus fuit Charops, quasi iracunde intuens. Nam Chara græce ira quoq; dicitur latine, & ex eodẽ (ut puto) horrore Charybdis nominata est, & Charon, de quo cum inquit Vergilius.

Glaucus color.

In equis quis color probetur.

Charopos color.

Hercules Charops.

Stant circum lumina flamma.

Cęsiũ uoluit senẽ illũ horribilẽ, ac dirũ significare Quãuis nõ nesciã, Charapon ab alijs aliter quoq; exponi.

ATER CAP. III.

HOrribilis etiam color est ater dictus, omnino uelut Anthrax, id est carbo: nam proprie est carbonis extincti. Quare scitè ut omnia, Terentius tam excoctam, inquit, reddam atq; atram, quàm est carbo. Et inde à Vergilio cinis dictus est ater & fauilla atra. Sanguis praeterea caloris atq; coloris ignei particeps, effusus ac frigefactus amisso rubore, tanq̃ in carbonem mutatus, ater ab omnibus uocat̃. Dicitur & mors atra, q̃a cadauer extincto calore illo uitali, quo corpus alitur, atrũ relinquitur, ut est carbo, quae mihi perquam elegans uidetur similitudo. Quid quod dies atri eadem de causa dicti fuerunt? Qui enim luctum afferebant, carbonibus, ut contrà dies laeti scrupis signabantur gypseis, ex quo Horatius ait:

Mors atra

Atri dies.

Creta, an Carbone notandi.

Differt in hoc à colore nigro: quod ut om̃is ater est niger, sic non omnis niger est ater: horrendus est hic, tristis, uisu iniucundus, lugentibus accommodatus, ille contrà nonnunquam lepidus ac uenustus, ut humani oculi sunt cõplures, quos nemo Atros diceret, sed nigros, iisq; tamen nihil maiori cum uoluptate spectamus.

Ater à nigro quo distet

Vocabatur autem Ater ab antiquis etiam Anthracinus, idemq; Furuus. Quibus longe minus sunt nigri, Liuidus & Fuscus. Alter ex graui corporis ictu proueniens deformitatem habet. Vnde inuidi aliorum bonis, uelut uerberib' laniati, & idcirco exangues, Liuidi nuncupantur. Alter

Liuidus Fuscus

non

non insuauis, & in homine persæpe laudatur. Qui tamen si modum excedit, ac maxime Fuscus est, & quasi nigrescit, Pressus dicitur: ut quæ aliquandiu sub prælo uestis pressa, nimium coloratur. Legimus etiam equi colorem Pressum. Secus uero fasciolæ Coloriscæ dictæ fuerunt, quæ non saturatæ, sed uix colore aliquo illitæ è coronis dependebant. Est autem forma diminutiua, ut Lycisca, Syrisca. Aquilum ueteres hunc Fuscum à colore aquæ uocarunt, qui inter nigrum est & album, id quod Plato etiam docet.

Pressus

Aquilus color

ALBVS CAP. IIII.

EST autem albus color purissimus, quocirca ad animum translatus pro syncero capitur: is nullibi quàm in niue, clarior est, quã tamen Atram esse Anaxagoras affirmabat. Sumitur pro Pallido, unde timor Albus legitur, & metu exalbuit. Quam ob rem Romanæ mulieres quondam funera sequebantur in ueste alba, tanquã mortui quẽ efferebãt, colorẽ referrẽt.

Anaxagoras niuem atrã dixit

Elucet Candidus, atq; oculos delectat. At Candens non hoc tantum est, sed pro ignito accipitur. Itaq; Veneris humeros recte dixeris Cãdidos, uel Candentes. Ferrum quod à Marito tunditur, non candidum est, sed candens. Eiusdem generis est Canus, qui & si ad alia transfertur, proprie tamen est capilli, & barbæ senilis. Nascitur equus nõnunquam canus atq; albineus, non idem qui & candidus aut albus, sed huius nõ expers.

Candidus Candens

Canus

Eſt & color albi nigriq; particeps,à Græcis inde Leucophæos,uoce iam à noſtris uſurpata,uocatus. Genus eſt id coloris natiui, non enim inficitur,ſed ouis ipſa ſic natura quaſi pingitur. Hunc Sibi Secta Sacerdotum Sumpſit Sanctiſſima,qui nulla tunica linea penitus induti, pro cingulo reſte ſe uinciunt nodoſa, ac ligneis tantum calciamentis uſi,precario uictum quæritant.

PVLLVS CAP. V.

QValis uero ſit pullus,oſtēdit terræ ipſius color: maior enim illius pars pulla eſt. Itaq; quoniam ea mortuis iniicitur, uoluerunt ueteres,ut qui lugerent,Pullis pallis,terræ ſimilibus,eſſent amicti. Dorſum etiam leporinum proprie eſt Pullum: quam ob rem naturæ ipſius doctus magiſterio, terram recētem ab aratro metu pauidus quærit ille,ibiq; nonnunquam ſtratus,nullaq; re abditus, uenatores,canesq; ipſos prætereuntes,ac ſagaciter propè omnia perquirentes, coloris tantum beneficio ſæpiſſime latet:&,ut in quodam epigrammate de lepore diximus.

Pullum leporis dorſum.

Quem fuga non rapit ore canum, non occulit umbra.
Concolor immotum ſub Ioue terra tegit.

Nulla arte aut impenſa color hic paratur. Natura enim ſic prouenit,unde Natiuus quoq; uocatus eſt,diuerſus ab eo de quo locuti ſumus. Iamq; nos Coſentini, apud quos multa antiquitatis ueſtigia apparent,ſiquidē & Præficæ,ut quondam, mortuos laudant,& Silicernium in uſu eſt,ac nemo ſine ſuorum oſculo ſepelitur, utriuſq; ſexus ueſtimen

Natiuus.

uestimentum funebre, Natiuum dicimus, quàmuis atrum sit illud, & in mulieribus matrimonio iunctis Cyaneum, quo Græcę, ut dictum est, olim in funere utebantur. Idem quoq; Hispanus uocatus est, & Bæticus, etiam Mutinensis. In ijs enim locis id genus lanæ uidet. Est aũt pullus nomen ut reor, diminutiuum à puro, uelut à Rara uesti menti genere fit Ralla, ab opera opella, à terra etiam tellus: ut lana Pulla sit pura, nullo alio colore infecta, sed suo tantum & ingenuo cõtenta. Colorias huiusmodi uestes per se coloratas aliqui dixerũt. Posuit hanc uocem Augustus in suo testamento, ubi hæc uerba legebantur: Gausapes Lodices purpureas et Colorias meas. Atq; indidem, ut sentio, dicti sunt pulli equorum, aliarũq; pecudum, quasi pura, nulla adhuc libidine aut labore uiolati. Sunt huic pullo simillimi color Impluuiatus, dictus uelut fumato stillicidio implutus: & Suasus, qui insuasus quoq; uocatus, lutum refert. Est autem Suasus è stillicidio etiam factus fumoso, in uestimẽto albo. Quare haud dubitanter non alius est quàm Impluuiatus: quàmuis aliqui tradiderint colorem omnem, qui fiat inficiendo, suasum dici, quod illi quodam modo sit persuasum, in alium quemuis colorem ex albo transire.

Impluuiatus,

Suasus.

FERRVGINEVS CAP. VI.

FErrum longo situ rubiginosum, facile ostendit colorem ab ipso appellatum Ferrugineũ agit enim is, id est refert colorẽ ferri. Quin & filamenta, quibus sæpe Conopæum, & multæ

præterea ueſtes lineæ circunſuuntur,| Ferruginem dicunt infectores. Tunica etiam nuclei pinei lanugine quadam puluerulenta, ferruginea eſt. Erat is quoq; lugentium color. Itaq; capitur nonnunquam & ipſe pro funeſto, atq; ea de cauſa Hyacinthi dicti fuerũt à Vergilio Ferruginei, quaſi lugubres, quia puerum ut eſt in fabulis, caſu interfectum Apollo diu luxit, atq; in eius folijs uelut epitaphium, in ſui doloris perpetuum monumentum inſcripſit, non quia uere floris color ſit ferrugineus: eſt enim is, in quem mutatũ ferunt adoleſcentulum, purpureus. De Hyacintho in literatum floſculum transformato fecimus hoc:

Ferrugi nei Hyacinthi

Nil opus elogio redimire, aut flore ſepulchrum.
Ipſe ſibi flos eſt, elogiumq; puer.

Eodem modo cœlum uocatur Ferrugineum, hoc eſt nubilum & triſte, atq; apud eundem Vergilium: Sol caput ſuum nitidum in morte Cæſaris texit ferrugine, quaſi colorem ſe induit lugenti aptum ut tanti uiri cædem Sol ipſe lamentari uideretur. Nec alia ratione Charontis nauiculã dixit ferrugineã, q̃ quoniam ea una, loco Sandapilæ, mortuos omnes ueſpillo indefeſſus tranſuectat.

Cœlũ ferrugineum

RVFVS CAP. VII.

Non

NON eundem esse RVFVM, atque RVBRVM, ex hoc intelligi potest, quod recte dicitur sanguis ruber, Rufus non recte. Rursus barbam, & capillum Aenobarbi RVBRVM ueteres non dixerunt, sed modo RVFVM, Rutilum modo, qui idem est. Quin & canes immolabant Romani sacerdotes, nunquam Rubras uocatas, sed quas nunc Rufas, nunc Rutilas appellabant, ad placandum Caniculæ sidus, frugibus inimicum. Ex quo manifestum est RVFVM, Rutilum'que eundem esse, id quod ex antiquis etiam aliqui docent. E canis igitur colore satis noto, atque è multorum barba, & capillo, cuiusmodi sit color RVFVS apparet. Hunc rustici in armentis Robum, Giluum'que olim dixerunt, atque etiam HELVVM: ut uini genus est quoddam inter Rufum, Albumq́, nulli non cognitum: quod quoniam Cerasi colorem refert duracini, Cerasolum aliqui dicunt Italiæ populi. Sed & Burrham ijdem appellabant uitulam, quæ rostro esset RVFO. At homo BVRRHVS est, qui pransus, cibo, & potione rubet, hunc aliquit etiam RVbidum uocant. Inuenitur & RVBEVS, & si aliqui non indocti uocem non esse latinam monuerint. Cum tamen apud autores non malos ex uuis nigris fieri uinum forte legatur, è Rubeis autem suaue. Nec non bos Burrhus

Rubeus probetur. Verbum est omnino rusticum nec prorsus idem color est, qui & Ruber, sed ad eum proxime accedit. Quid quod Russeus etiam legitur: negat quidam è uetustis grammaticis dici posse, Russum iubet, ex quo pannus est Russatus. Vtrunq; certe latinum est, sed Aratoris magis, quam Oratoris: habēt enim & sua uerba, qui ruri uiuunt urbanis nonnullis inaudita. Russeū equum dicunt illi, qui non planè Russus est, sed aliquanto minus ruboris habens idem fere uidetur. Hic autem, quoniam quasi cruentato similis est, hodie saginatus, quasi sanguinatus uulgo nominatur, quamuis huius nominis nonnunquam equi albescant.

RVBER CAP. VIII.

Coccus.

RVbrum maxime indicat animantium sanguis, & quo lana inficitur, Coccus, granū id à nostris uocatur, unde uestis est Coccina, nulli ignota. Ostentat tamē hunc colorē præ cæteris rebus liquor purpuræ, cuius adeo gratus est color, ut si quid paululum habeat ruboris, modo uisu sit illud non iniucundum, Purpureum sæpe dicatur, ut sunt uiolæ, & uaria florum genera: quin & candidus, is enim quoq; oculos remoratur, à poëtis uocatur nonnunquam Purpureus.

Purpureus.

Nam & olores Purpureos dixit Horatius, & niuem ipsam purpuream Albinouanus. Inuenitur & Blatteus positus pro Purpureo. Nō prętereundus est color Viteis frōdibus arefactis simillimus, & idcirco Xerampelinus Gręce dictus. Vsurpant hanc uocem Latini, certum enim Vitis

geuus

genus adulto iam autumno pampinis rubet uelut cruentatis, unde nomen colori inditum est. Rosa ab omnibus nunc dicitur sicca. Atrabapticas uestes eo colore infectas, quoniam in eo Purpura nigresceret, aliqui appellauerunt. De ea re fabellam excogitatam his uersiculis fui complexus:

Cæderet immeritæ Vitis dum crura, cecidit
 Ipse sua, & dira cæde Lycurgus obit.
Vnde prius uiridis, rubet hostis sparsa cruore
 Illæso Vitis stipite, & ultra nefas.

ROSEVS CAP. IX.

IVcundissimus omnium est color Roseus, atq; humano corpori, si id formosum est quàm simillimus. Itaq; os, ceruicem, papillas, digitos roseos poëtæ dicunt, id est candidos, rubore sanguinis penitus diffuso cum uenustate, isq; color proprie est quem communis sermo Incarnatum uocat. Refert enim maxime omnium pueri nitorem, ac uirginis rosa, nō Milesiam intelligo: quæ nimis purpurea ardere quodāmodo uidetur, nec rursus albam: sed quæ utrinq; decorem accepit, & quia corpus hominis imitat̄, quod lingua uernacula carnem appellat, eadem id genus Rosarū Incarnatum nominauit. Cicero colorem hūc Suauem dixit. Incarnat⁹

PVNICEVS CAP. X.

A Phœnicibus color Phœniceus, Puniceus quoq; dictus flagrat, uelut Viola Flāmea, atq; ita à multis olim Purpura uocata fuit uiolacea, hodie penè nomen seruat: nam Pao-

nacius, quasi Puniceus dicitur, & si aliqui uocem hanc uernaculam à Pauonis colore factam uolunt.

Phœnice⁹ color in equo

Phœniceum uero alium ab hoc, Palma quæ Phœnix Græce est, à se nominauit. Color hic in equo, ut iam diximus, maxime laudatur, qui modo Spadiceus, Baius modo, Badius etiam & Balius, uarijs nominibus uocatus est. Termites eñi palmarum cum fructum Spadices, & Baia Græci dicunt: unde equus ab equisonibus appellatur Baius

FVLVVS CAP. XI.

EX omnibus maxime lucet fuluus, quem multa iactant, Orichalcum in primis, Aurum, ipseq́; etiam stellæ.

Quas non extingunt uenti, non nymbus aquosa
Nube cadens, celsa semper sed luce coruscat.

Quare Tibullus proprie sydera Fulua appellauit. Est & aureolæ species arenæ quam Fuluam dixit Vergilius, & genus quoddam aquilæ ab Aristotele maxime celebratum, colore etiam Fuluo. Qui si obtusus quodam modo est, atque obscuratus, uocatur Rauus. Iam'que sic Horatius lupam appellauit, cuius colorem noto magis uerbo plerique omnes Fuluum dixerunt. Tradunt aliqui Rauos oculos quos in cane & ariete laudat M. Varro inter cæsios esse & flauos. Ornat sæpe color hic Flauus uirginũ

uirginum, ac puerorum capita, atque in maturis frugibus semper elucet, nec non pro pulchro frequenter positum uidemus. At Luteum nihil æque ostentat, ac flos Calthæ & Genistæ, oui'que etiam uitellus. Croceo est hic perquam similis sed lucidior aliquanto, ab antiquis Flammeus quoque dictus, quoniam eo Flaminis uxor Flaminica utebatur. Potest hoc loco Pallidus poni, ac Luridus, mortui color est hic horribilis, ipsiúsque mortis, ut poëtæ dicunt, & Plutonis. Ille nonnunquam uel gratus in homine, atque amabilis.

VIRIDIS CAP. XII.

CVIusmodi sit color Viridis, suppeditat exemplum herbarum multitudo, quarum tanta est uarietas ut cum earum uis sit infinita, nulla tamen æque, atque ex ijs aliqua, prorsus uireat, sed omnes inter se discolores uideantur, id quod in reliquis omnibus coloribus apparet. Quare si minus est hic albus, aut niger, quàm ille, non idcirco nomen albi amittit, aut nigri. Ex auibus autem insignis est hoc colore Psittacus, auis inde à quibusdam Viridis appellata, & qua nihil lætius est, Smaragdus. Maxime quoq; lucet uiriditas in genere quodam Scarabei, cuius ipse meminit Aristoteles. Is qm̃ dorsum habet nota quadã aureola sic lutum

Scarabeorũ genus extreme uiride.

atque illustratum,ut Lunæ speciem exiguæ sustinere uideatur,non inuenuste à nobis Cosentinis equus Lunæ nuncupatur, fecimus hoc iampridē de Scarabeis iocosum epigramma.

Paruula Sisyphio gens condemnata labori,
Quas figula ipsa facit, fertq; refertq; pilas.
Pars nigra,aut Aethiopū manus usta calorib⁹ horret.
Regia pars uiridi picta colore nitet.
Parua micat cuius dorso nota,magna minutis
Si conferre licet,Luna pusilla uelut,
Dixit Equū Lunæ hinc cognomine Brutia Tellus.
Quod si bellator sic nituisset Equus,
Illo capta foret non una Semiramis,essent
Centauri & plures,quam genus est Hominum.

Egregius est inter colores,qui uirent, Prassinus,multorum carminib⁹ collaudatus,nūc uiride porrum ab Infectoribus uocatur.

EPILOGVS CAP. XIII.

Color uarius

Libet epilogum addere,uarietatem proprie de coloribus dici,ex quo uestis uaria , discolor est, diuersisq; coloribus consuta . Diuisam nunc omnes uocant,& equus uarius non totus uel candidus uel niger, sed his,aliis'ue coloribus distinctus:sic & cœlum uarium,cuius partes serenæ interlucēt,partes nubilæ tristantur. Atq; alium sæpe pro alio,si inter eos affinitas est,colorem usurpant poëtæ , ut lumē Mineruæ Flauū dixit Vergilius pro Glauco,quo uenustatē quoque esse in oculis Deæ ostenderet,quemadmodū amictum Tyberis, cuius aquam alibi Flauam appellauit. Glaucum idem esse cecinit: est enim inter hos colores similitudo & quasi uicinitas . Sic

ut

ut iam dictum est, Albus pro Pallido, ac Cœruleus pro subuiridi poëtice ponit, proq; etiã subnigro, multiq; pręterea inuicem cedunt. Ex omibus uero maxime contrarij sunt Albus, & Niger: quare nihil æque apparet, atq; in alba papyro atramentum. Vtebantur ueteres, quod nunc etiã seruatur, cum librorum titulos notarent, colore puniceo in honorem memoriámque Phœnicum, quos literarum tradunt fuisse inuentores.

Sunt etiam è coloribus aliqui incerti, qui intuentium oculos fallũt, ut est cœli nitor, quod cum tenebrosum quidam autumẽt, illustratum radijs solaribus cyaneum uidetur, ut Iris, ut quas suspicimus nubes nonnũquã ignescere, ut mare ipsum quod pręter cœruleum, modo Atrum horret, modo uirescit, interdum etiam Flauum, Rauumq; se ostendit, aut specie quadã purpurascit uiolacea. Incertĩ colores

Non idem quoq; decor in collo cernitur Colũbæ & Pauonis, unde aues sæpe dicunt uersicolores, quale est serici genus satis notum, quod è diuersis partibus spectanti non eundem offert coloris leporem. Discolor autem non modo pro uario sumitur, sed si quid eundem colorem uelut radios quosdam diffundit, ut Discolor

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

At decolor is dicitur, ex cuius ore color defluxit, & exanguis relictus est, atq; icci rco pro deformi capitur & nigro, ut Decolor Indus: nam Concolorem eiusdem esse coloris nemo ignorat. Ad hæc colores bifariam diuidũtur, nam Austeri uocabantur reliqui omnes, præter Minium, Purpu Decolor

rissum, Cinnabarim, Armenium, Chrysocollam, Indicum, quos floridos dixerunt. Sed hæc Pictores uideant, qbus olim in usu tantũ erat Melinus color, Cãdidus. Silaceus q inter Cœruleos nominatur, Sinopis genus rubricæ, & atramentum. Quidam etiam Suaues dicti sunt, ut Flauus, purpureus, candidus, in primis Roseus, humanis autem oculis nihil uenusti hominis colore suauius uidetur. Inesse uero coloribus suauitatẽ, præterquam quod sensus ipsi iudicant, egregij Latinitates autores ostẽdunt, M. Cicero, & Vergilius Maro, quorum alter suauem hominis colorem dixit, ab altero

Suaue rubens Hyacinthus

uocatus est. Alij tristes sunt & lugubres, uelut atrum esse diximus, Pullum Ferrugineum & Cœrulei speciem. Quin ut uidentur, sic sordidi etiam aliqui dicti sunt, ut de quibus locuti sumus. Suasus & Impluuiatus, ijs enim rei ut misericordiam apud iudices captarent, se deturpabant. Talem quoq; fuisse uestitum Charontis ostendit, cũ inquit Vergilius:

Sordidus ex humeris nodo pendebat amictus

Iam uero colores partim nominati sunt à locis, ut Puniceus, Tyrius, idemq; Sarranus. Purpurei sunt hi, Indicum, Sinopis, Melinus, Hispanus, Bæticus, Mutinensis, de quibus dictum est. Colossinus à Colosso urbe in Troada, ubi lana inficitur florem referens Cyclamini, quod tum Rapum, tum terræ malum, tũ Tuber uocatur, à nobis Cosentinis Terrigena, fulget flos ille inter cando-

rem

rem & purpurã. Partim à metallis nuncupati sunt, ut Plumbeus, Ferrugineus, Argenteus, Aureus. Sed à plantis nomen acceperũt complures, ut præter Phœniceum, id est Palmeum, ac Xerampelinum. Buxeus est qui pro pallido sumitur, pallet enim præ cæteris Buxea materia. Roseus præterea Hyacinthinus, in quo purpura lucet subnigra. Hysginus ab Hysge herba Coccinus, & utriq; similis Sandycinus. Violaceus qui & Ianthinus, ex quo Tyrianthinus, è purpura ut nomẽ indicat, fact⁹, & Viola. Addiť his Crocreus Vñ Crocotula uestis gen⁹, ut à Caltha Calthula à Bysso lini gñe tenuissimo Byssina: erantq; hæ omnes Luteæ, sed Byssina penè, ut aurum fulgebat. Fuit in usu uestis à Citri similitudine, Citrosa dicta. Et quædã coloris candidi, Papaucrata à Lucilio Satyrico, cum eam, ut probrum, Torquato obiecisset, nominata. Inuenitur quoq; Galbina uestis alba à Galbano. A Maluæ item flosculo color est Molochinus, ut à Punicæ etiã flore Balaustinus. Virentis quoq; porri folia nomen ex se ut iam diximus, fecerunt Prasinum. Multi præterea ab animalibus uocati sunt, ut Ceruinus, murinus. Atq; hi colores sunt in equo notissimi. Mustellinus, de quo Terentius. Ictericus, qui Regio morbo laborat, à colore Galguli, quam Græci auem Icteron dicunt. Luteus est hic admodum. Cygneus, idẽq; latine Olorinus, id est Cãdidus, ut cõtrà Coracin⁹, niger. Ascribũť & his Ostrin⁹, Cõchyliatus, Muriceus, Purpureus, ab Hercule

A metallis & plantis

Ab animalibus

ut fabulantur, primum inuentus. Feci paucos de ea re Choriambos, quos uisum est hic ponere.

Errat dum bibulis Herculeus littoribus canis,
Nantem forte uidet spumifero gurgite Purpuram.
Aggressus'que ferox corrupuit uiscera mordicus.
Mox pastus rediit commaculans gramina sanguine.
Quẽ Tyro simul ac pulchra uidet, nãque erat hæc comes.
Prolutum roseis candida sic ora coloribus,
Alcidem alloquitur. Non alio munere te sequar,
Quam si picta mihi Palla rubens huic similis datur.
Quod nunc per spolium terrificę te rogo Bellụę,
Inuictæ'que manus robora per tela sonantia,
Non ignota auibus nubila translata fugacibus,
Da ferre hæc (poteris nã omnia) nec te tenuit Maris
Circumfusa palus, Hesperidum quo minus aurea
Ferres munera. Sic brachiolis fata reuinciens
Robusta implicuit nympha procax colla tenaciter.
Paret uictus amans blandicijs Amphitryonius.
Nactus'que exanimem, quã expuerat iam mare, purpurã
Infecit Tyrio primus ouem Murice candidam.

A rebus denique diuersis nonnulli colores dicti sunt, ut Igneus, Flammeus. Sic orbis, nitor'que Solis ab Attio & Catullo appellatus est. Quare color Solis, & quia ita apparet, & ex illorum autoritate Flammeus proprie potest uocari. A cœlo, ut iam principio dixi, Cœruleus est. Marinus, & Thalassinus à Mari: ab unda Cymatilis & Cymatius: idem'que est in ijs omnibus color. Quinetiam ab arcu pluuiarum nuncio, Arquatus est nominatus. Hyalinus, qui & Vitreus, Niueus, Marmoreus, Lacteus, Eburneus, quo dictus fuit cognomento propter candorem corporis Fabius quidam. Amethystinus præterea, ex quo Tyriamethystus

thyſtus in uſu fuit olim. Sãdaracinus, Flammeus eſt is, quibus etiam Impluuiatus, ſanguineus, atque Herbidus adduntur. Cereus item, Piceus, Cinereus, ut cardui genus eſculenti à colore, Cinara uocatum. In hoc autem Carduo eſſe etiam aliquod ipſius uirtutis ſimulacrũ, pauci quos hic ſubieci declarant uerſiculi.

Vt uallatus acutis
Circum frondibus horret,
Intus ſed tamen abdit
Dulcem Carduus eſcam,
Cœlo miſſa ſereno.
Sic uirtus puer aſpris
Ambit ſentibus ipſam
Iucundam Ambroſiam Dijs.

A ſpumis quoq; & maculis, ſpumeus eſt & maculoſus: atq; ij equorum ſunt etiam colores, ut à guttis guttatus, cuiuſmodi præter equos, canes uidentur nonnulli; ſagaces, quos à muſcarum ſimilitudine Muſcatos dicũt, uelut equus ſcutulatus à ſcutulis: quem ab exiguorũ pomorum ſpecie Pomulatum uocant equiſones, & ſi orbes ſunt latiuſculi, Rotatum. Videtur ad extremum natura amare Cœruleum: eo enĩ ut initio diximus, mare colluſtrauit, ac cœlum ipſum quod nunquã ſtellis fulgentibus ornaſſet niſi eadem quoq; Fuluo maxime delectaretur. Sed quia uiciſſim uidemus terram, aut uiriditate conueſtiri, aut eo ornatu ſpoliatam, Pullam eſſe, aut etiam cãdere niueo contegi, uiridem, pullum, atq; album naturę gratum eſſe nemo poteſt dubitare. Nigra inſup

est nox,nigri sunt Indi, atq; Aethyopes. Gaudet igitur rerum mater colore nigro , quam à rubro nihil abhorrere, hominum,ac cæterarum animātium sanguis facile declarat.

ANTONII THYLESII CO sentini de coloribus libri finis.

ARANEOLA.

HAEret Araneolæ laxis dum cassibus errans
Musca leuis,conata fugam sese magis ultro
Implicat,& quatiens alas stridore coruscat.
Effugium dum quæ scrutatur,labitur ecce
Illico Araneola, opperiēs si præda feriret
Reticulum, tenui quod stamine neuerat ipsa
Sub Salice,& trepidam sæuo rapit improba morsu.
Illa iterum fremitu resonans,pedibusq; repugnans
Concutitur,sed nulla datur fuga,forcipe nanq;
Pressit atrox,urgetq; tenax,perq; omnia uersat.
Ac tandem magno luctamine uicta pusilllam
Expirans animam moritur miserabilis ales.
Callida sed quàm sit cœcas cōponere fraudes,
Omnibus inq; locis innectere tenuia fila,
Est operæpretium cognoscere,Rixa puellæ
Mœoniæ uulgata diu est,quis Palladis ira,
Seu liuore magis mutatam nescit, amaret
Infelix dum se Cœlestibus æquipararet?
Siue in amore soror fratris deprensa Phalāgis
Casta Deæ furtim templa incestauit Arachne.
Appula nūc etiam puer unde per oppida passim
Multipedem repit faciem contractus in atram.
Iamq; uetus retinent metuenda Phalangia nomen.
Quis tamen ipsa nouū dedit urbs quoq; prisca Tarēti.
Principio, ignaros rerum ne occulta morentur,
Quicquid id est,per quod delabitur,aut spuit ore,

Aut

Aut denſo exterius ceu glomere fila reuoluit.
Quod ſimul ac lucem ſuſpexit Araneus ipſum
Emittit, uictumq́; ſibi molitur, & uſq;
Nectit fila leui deiectus corpora ſaltu.
Itq;, reditq; citus, ſurſum modo repit, & altum
Iam tenet: hinc rurſus ſuſpenſus decidit, & iam
Mille uijs æquo diſcrimine texuit orbem.
Tum malus inſidias ſub opacis frondibus abdit,
Ne ſi forte oculis uolucrum leue cerneret agmen
Exitium, aufugeret tremefactum corda pauore.
Sic poſitis tandem laqueis, procul occuluit ſe.
Proſpectatq́;, plagis ſiquid nouis incidit auceps.
Ecce feri Culices, Muſcæq́;, atq; id genus omne
Alituum, uolāt imprudens, & retibus ultro
Infertur, laxatq́; ſinus, atq; omnia miſcet.
E ſpicula intentus raptim ſeſe iacit alta
Explorator, & implicitas has mordicus, atq; has
Diripit, ac circum lictor ligat, atq; ita aceruat
Omnia uenatu aſſiduo, uictumq́; reponit.
Sed ne forte leues uolucres, infirmaq́; tantum
Hunc captare putes, triſtem ſub tegmina Aſilum
Denſa tenent, ſeuitq́; furens detentus, at illum
Ingluuie accurrens Venator conficit atra.
Quid referam Fucos, & quicquid uirus amara
Geſtat acu? quoties captū fremit, ac uelut ipſos
Damnatos factæ ſuſpendit Aranea cædis.
Spectaturq́; diu paſſim, ſpolia ampla, cadauer.
Voce minans quāuis immane ſuperbiat armis,
Quod que uenenatis fert telis, uulnus inurat.
Quin tantis etiam ſtimulis furit ictus edendi,
Inuolet apricos ut in ipſos ſæpe lacertos.
Frenet & incaſſum torquētes terga, nec ullis
Saltibus excuſſus, cæcis premat undiq; uinclis.
Nec mora ſit, raptet quin ſubterraneus illos,
Cacus ut auerſos retrahebat in antra iuuencos.

EIVSDEM

EIVSDEM CICINDELA.

TAntula nocte uolans uolucris micat aëre tantũ,
Ardenti similis scintillæ quam puer olim
Aequales inter metuebam tangere, ne me
Vreret, infirma est ætas cum nescia rerum.
Quæ quoniam noctu lucet cognomen adepta est.
Aut incensa nitet quoniam, uelut ignea lampas,
Cauda sit una licet, nomen non est tamen unum.
Hæc modo summa petens commotis emicat alis.
Rursus & adductis fuluum decus aurea condit,
Ardentiq́; procul fugiens leuis igne coruscat.
Et quocunq; uolat, secum sua lumina gestat,
Lumina, quæ tenebras arcent, quæ flamina temnunt.
Nunc, uelut obsequiosa uidentibus, aduolat, atq;
Fit magis, atq; propinqua magis scintillat & ante
Ora, minuta uelut candentis frustula ferri,
Verbere quæ assiduo fornacibus excutiuntur.
Ex quo rapta Ioui Stygio Proserpina, nanq;
Vna fuit comitum, ueterem mutata figuram,
Quærit adhuc dominæ uestigia, & omnia lustrat.
Omniparens Natura, hominũ, rerumq́; creatrix,
Difficilis, Facilis, Similis tibi, Dissimilisq́;,
Nulligena, Indefessa Ferax, te pulchrior ipsa.
Solaq́; quæ tecum certas, te & uicta reuincis.
Omnia me nimis afficiunt, quo lumina cunq;
Verto libens, nihil est non mirum, Dædala quod tu
Effingis, rebusq́; animam simul omnibus afflas,
Vnde uigent, quæcunq; uidentur pabula, frondes,
Et genus aligerum, pecudesq́;, & squamea turba.

EX TIMAEO PLATONIS DE COLOribus Marſilio Ficino interprete.



QVod uiſum diſgregat album appellatur. nigrũuero quod congregat, motionem profecto acutiorẽ, alteriusq; generis ignis incidentem, diſpergentemq; uiſum uſque ad oculos, orbesq; ipſos oculorum, meatusq; ui deuerberantem, liquefacientẽq;, ignẽ eſſe dicimus ex oppoſito obuiantem cuius occurſu lachryma, corpus ex igni & aqua mixtum effunditur, & uno quidem igne uelut è coruſcatione quadam exiliente, altero uero penetrãte, & ab humore extincto uarij creantur ex huiuſmodi mixtione colores, atque ipſam paſſionem fulgorem, coruſcationemq; uocamus quodq; id facit ſplendidum atq; coruſcum. Horũ medium ignis genus ad oculorum humorẽ perueniens, illicq; ſe miſcẽs, minime quidem coruſcũ, ſed ex ipſa ignei radij ad humorẽ mixtione ſanguineum creãte colorẽ rubeum nominam⁹: ſplendidum albumq; rubro mixtum flauum procreat. Quo autem menſuræ modo ſingula ſingulis miſceantur, etiamſi quis nouerit narrare prudentis non eſt, præſertim, cum neq; neceſſarium, neque ueriſimilem de his rationem afferre poſſit. Rubeum cũ albo nigroq; purpureum generat. Paulo obſcurior, moreus, luteolusq; fit color, fuluum flaui, fuſciq; tẽperatione producitur. Fuſcum ue-

Albus

Fulgor

Coruſcatio

Rubeus color

Purpure⁹

Moreus

Luteolus

Fuluus

ro albi, & nigri confusione pallorem albi flauiq́; copula generat. Splēdidum albo adiunctum obfusumq́; nigredine cœruleum efficit. Cœruleum cum albo glaucum creat. Fului nigriq́; temperie color uiridis nascitur

EX NOCTIBVS ATTICIS A. GELLII LI. secundo cap. xxvi. de generibus uocabulisq́; Græcorum & Latinorum colorum.



PHauorinus Philosophus, cum ad M. Frontonem cōsularem pedibus ægrū uiseret, uoluit me quoq; ad eum secū ire. Ac deinde cum ibi apud Frontonē plerisq; uiris doctis præsentibus, sermones de coloribus uocabulisq́; eorum agitarentur, quod multiplex colorum facies, appellationes autem incertę & exiguæ forent: Plura, inquit, sunt Phauorinus in sensibus oculorū, quàm in uerbis uocibusq́; colorum discrimina. Nam ut alias eorum concinnitates omittamus, simplices isti, rufi & uirides colores, singula quidem uocabula, m ultas autem species differentes habent. Atque eam uocum inopiam in lingua magis latina uideo, quàm græca: quippe qua rufus color à rubore quidem appellatus est. Sed cum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum, aliter crocus, has singulas rufi uarietates, latina oratio singulis proprijsq́; uocabulis non demonstrat

ſtrat, omniaq́ iſta ſignificat una ruboris appellatione : cum tamen ex ipſis rebus uocabula colorum mutuetur, & igneum aliquid dicit, & flammeum, & ſanguineum, & croceum, & oſtrinum, & aureum. Rufus enim color, & ruber nihil à uocabulo rufi differunt, neq; proprietates eius omnes declarant. ξανθὸς δὲ καὶ πυῤῥὸς, καὶ ἐρυθρὸς, καὶ φοινικοῦς ſcilicet, habere quaſdam diſtãtias coloris rufi uidentur, uel augẽtes eum, uel remittentes, uel miſta quadam ſpecie temperantes. Tum Frõto ad Phauorinũ, non inficias im⁹, inq̃t, quin lingua Græca, quam tu uidere legiſſe, prolixor fuſiorq́ ſit, quàm noſtra. Sed in ijs tamen coloribus, quibus modo dixiſti, deſignandis, non perinde inopes ſumus, ut tibi uidemur. Non enim hæc ſunt ſola uocabula rufum colorem demonſtrantia, quæ tu modo dixiſti, rufus, & ruber, ſed alia quoque habemus plura, quàm quæ dicta abs te Græca ſunt. Fuluus enim & flauus & rubidus, & phœniceus, & rutilus, & luteus, & ſpadix, appellationes ſunt rufi coloris, aut acuentes eum, quaſi incendentes, aut cum colore uiridi miſcentes, aut nigro infuſcantes, aut uirenti ſenſim albo illuminantes. Nam phœniceus, quem tu Græce φοίνικα dixiſti, noſter eſt: & rutilus, & ſpadix phœnicei συνώνυμα, qui factus Græce noſter eſt, exhuberantiam ſplendoremq́ ſignificat ruboris: quales ſunt fructus palmæ arboris non admodum ſole incocti, unde ſpadicis & phœnicei nomen eſt. Spadica enim

Rufus color
Ruber
Fuluus
Flauus
Rubidus
Phœniceus
Rutilus
Luteus
Spadix

Dorici uocant auulſum è palma termitem cũ fructu. Fuluus autem uidetur de rufo atq; uiridi miſtus, in alijs plus uiridis, in alijs plus rufi habere. Sic poëta uerborum diligẽtiſſimus, fuluam aquilam dicit & iaſpidem, fuluos galeros, & fuluum aurum, & arenam fuluam, & fuluum leonẽ. Sicq; Ennius in annalibus fuluo ære dixit. Flauus contrà uidetur ex uiridi, & rufo, & albo concretus. Sic flauentes comæ, & quod mirari quoſdam uideo, frondes oliuarum à Vergilio dicuntur flauę. Sic multo antè Pacuuius aquam flauam dixit, & flauum puluerem: cuius uerſus (quoniam ſunt iucundiſſimi) libens commemini:

Cedo tamen pedẽ lymphis flauis flauum ut puluerẽ,
Manibus ijſdem, quibus Vlyſſi ſæpe permulſi, abluã:
Laſſitudinemq; nimiam manuũ mollitudine.

Rubidus — Rubidus autem eſt rufus atrore & nigrore multo miſtus. Luteus contrà, rufus color eſt dilucidior: unde eius quoq; nomẽ eſſe factum uidetur. Nõ ergo, inquit, mi Phauorine, ſpecies rufi coloris plures apud Græcos, quam apud nos nominantur. Sed ne uiridis quidem color pluribus ab illis, quàm à nobis uocabulis dicitur. Neq; nõ potuit. Verg. colorem equi ſignificare uiridem, uolẽs magis dicere equum quàm glaucum. Sed maluit uerbo uti notiore græco, quàm inuſitato latino. Noſtris autem latinis ueteribus cœſia dicta eſt, quæ à Græcis γλαυκῶπις dicit: ut Nigidius ait: de colore cœli, quaſi cœlia. Poſtq̃ hæc Fronto dixit, tum Phauorinus ſcientiam rerum huberem, uerborumq; eius elegantiam exoſculatus, abſq;

(margin: Cæruleus / Glaucus / Cœſia / Glaucopis)

te,

te, inquit, uno forſitan lingua profecto Græca lõge anteiſſet, ſed tu mi Fronto, quod in uerſu Homerico eſt, id facies:

καὶ νίκην ἐπ' ἀρετῇ ἀμφήριστον ἔθηκας.

Sed cum omnia libens audiui, quæ peritiſſime dixiſti, tum maxime quod uarietatem flaui coloris enarraſti, feciſtiq́ ut intelligerẽ uerba illa ex annali, xiiij. Ennij amœniſſima, quæ minime intelligebam:

Verrunt extemplo placide mare marmore flauo,
Cæruleum ſpumat mare cõferta rate pulſum.

Non enim uidebatur cæruleum mare cum marmore flauo conuenire. Sed cum ſit ita, ut dixiſti, flauus color uiridi & albo miſtus, pulcherrime prorſus ſpumas uirẽtis maris, flauo marmore appellauit.

LAZARVS

BAYFIVS DE RE VESTIARIA.

ADuertẽdum ex cap. Gellij quod phœniceus, rutilus, & ſpadix ſunt συνώνυμα & ſignificant exuberantiam, ſplendoremq́ ruboris, quales ſunt fructus palmæ arboris nõ admodum ſole incocti, unde ſpadicis & phœnicei nomen. Rubidus autem & ruffus atrore & nigrore multo mixtus. Luteus quoq; ruffus eſt, ſed dilucidior. Viridis uero color appellatur quoq; cœruleus, qui à Græ- Spadix Rubidus Luteus Viridis Cœruleus

Glaucus
Cæsius
Cœrulus

cis glaucus dicit̃,unde Pallas γλαυκῶπις dicta,à ueteribus autem latinis cœsia quasi cœlia, à colore cœli,ut inqt P. Nigdiius. Ausonius quoq; de bissula latinæ dixit:

Oculos cœrula,flaua comas.

Hoc est,ut uulgo loquimur,quæ habet oculos uirides. Illud interim mirari subit,quid in causa sit, quod nos Galli simul & Germani in puellarum forma oculos cœruleos laudamus,contra uero Romanis ac Græcis puellæ oculis nigris censentur. Cœrulei coloris uestis dicitur & cymatilis, quia nomen sortitur ab undis: apud Ouidium.

Cymatilis

Hic undas imitatur, habet quoq; nomen ab undis.

EX ACTVARIO GRAECO DE COLORIBUS EIS UIDELICET,QUI IN URINIS APPARẼT

ALbus color aut niueus est, aut Chrystalleus,aut aqueus,aut lacteus q similis est lacti. Aut glaucus q uelut cornu pellucidum , aut Charopus qui similis est pilis subalbidis cameli , uel ungui lapillo sic appellato.


Color spiceus similis est bili infusæ humori , aut humori corticis &cici mali punici decocti. Subfulus quẽ & subaureũ dixeris,nõ usqueq; similis est puro auro. Fuluus color qui & aureus dictus qui puro ac sonoro auro similis est . Subcroceus color

color q flori cartami herbæ similis est. Nouerũt quamplurimi florem herbæ uocatæ cartami, qui colore inferior est flore croci. Croceus color nihil differre uidetur à Croco Coryceo: cũ omes croci aliorum locorum differant præstantia coloris à croco Coryceo. Aut si nunc non habeas propono tibi crocum qui ab Atho defertur.
Rubeus color est similis omnino croco optimo Subrubeus, floribus cartami: aut bolo Armenico & Lemnio sigillo. Rubeum uero & puniceum similem cogitaueris illis pomis quæ rubeũ colorem præ se ferunt, ueluti cerasis & malis & aliijs id genus, quæ lenitate corticis, & maturatione, & coloribus differre uidentur. Vineus color nomen id accepit à uino quàm rubrum est nigriore, existitq; simile colori hepatis. Quamobrem oportet hæc sciẽtem interdum inspicere hepar animalis rationalis uel irrationalis: interdũ eiusmodi uinum bibere: deinde ubi uiderit considerare de uineo colore, Memini sæpe numero eiusmodi uinum in foro uidisse à mercatoribus conuectum, quod adeò erat uineo colore perfusum, ut cados etiam quibus uectum fuerat, proprio colore affecisset. Quinetiã par eiusmodi uini plurimę aquæ mistum etiam rubicũdo colore spectatur. Passeus uero color est qui ex intensione uineo præstitit, maxime similis passo, q; ex uua nigra decocta fieri nouit unusquisq;. Hoc pacto habet: & si sint qui ambigunt passum etiam fieri musto decocto, usq; ad tertiam partem. Adde quoq;, ut clarior notio fiat, cerasi fructus colorẽ, qui

qui ad nigredinem inclinat. Venetus qui & cæruleus dicitur omnibus notus, qui ex puro albo atque nigro æqua ratione confusis gignitur. Et si id ipsum sensu etiam uelis nosse, cerussam uel lectissimam calcem, uel aliquid aliud simile atramento, uel pici, uel bitumini, alijs'ue puris nigroribus si miscueris æquis ponderibus, Venetum colorem eo modo productum uideris. Viridium colorum alius est, ut qui in folijs brassicæ: alius, ut qui in smaragdo, ita ut ex his accepint appellationem. Oleaceus color qui refert olei similitudinem. Liuidum colorem esse plumbi colorem si quis dixerit, is apposite rem aperuit. Niger omnibus notus est.

INDEX

Decolor




J. GOMEZ DE LA CORTINA ET AMICORUM
FALLITUR HORA LEGENDO

TELESIUS

ET

BAIFIUS

ABSQUE

NOTA